



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Quòd omnia grauia pro æterna vita sunt toleranda. xlvii

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

CAPVT XLVII.

Quòd omnia graua, pro aeterna vita, sint toleranda.

1. **F**ili, non te frangant labores, quos assumpsisti propter me, ne tribulationes te deiciant vsquequaque; sed mea promissio in omni euentu te roboret & consoletur. Ego sufficiens sum ad reddendum, supra omnem modum & mensuram. Non diu hic laborabis, nec semper grauaberis doloribus. Expecta paulisper, & videbis celerem finem malorum. Veniet vna hora, quando cessabit omnis labor & tumultus. Modicum est & breue, omne quod transit cum tempore.

2. Age, quod agis; fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria, digna est his omnibus & maioribus praelijs vita aeterna. Veniet pax in die vna, quæ nota est Domino, & erit non dies neque nox huius scilicet temporis, sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma, & requies secunda. Non dices tunc: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nec clamabis, *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est:* quoniam præcipitabitur mors, & salus erit indefectiua, anxietas nulla, iucunditas beata, societas dulcis & decora.

Mat. 29.

Rom. 7.
Psa. 119.

3. O si vidisses sanctorum in cælo coronas perpetuas; quanta quoque nunc exultant gloria, (qui huic mundo olim contemptibiles, & quasi vita ipsa indigni putabantur:) profectò te statim humiliare vsque ad terram: & affectares potiùs omnibus subesse, quàm vni præesse, nec huius vitæ lætos dies concupisceres, sed magis pro Deo tribulari gauderes, & pro nihilo inter homines computari, maximum lucrum duceres.

Sap. 3. & 5.

4. O si tibi hæc saperent, & profundè ad cor transirent, quomodo auderes vel semel conqueri? Nónne pro vita aeterna, cuncta laboriosa sunt toleranda? Non est paruum quid, perdere aut lucrari regnum Dei. Leua igitur faciem tuam in cælum. Ecce ego, & omnes sancti mei mecum, qui in hoc seculo magnum habuere certamen; modò gaudent, modò consolantur, modò securi sunt, modò requiescunt, & sine fine mecum in regno Patris mei permanebunt.

CAPVT XLVII.

De die aeternitatis, & huius vitæ angustijs.

1. **O** Superne ciuitatis mansio beatissima. O dies eternitatis clarissima, quæ nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat, dies sæper læta, sæper secunda, & nunquã statũ mutas in contraria. O vtinã dies illa illuxisset, & cuncta hæc temporalia sine accepissent,

Apo. 21.